



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epistola Responsoria R. P. Isaaci De Bruyn Societatis Jesu  
Ad Eximium Dominum Martinum De Svvaen S. Th.  
Doctorem Lovaniensem &c.**

**Bruyn, Isaac van**

**[Verlagsort nicht ermittelbar], 1693**

Quintum Malum. Turbæ frequentes variis in Ecclesiis successu temporis  
ciendæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40327**

tiæ per se efficaci defensores, qui Iansenium apertè ejurant? Thomistas hic designare cupis, ita colligo, quis eos iniquè vexat? Non diffiteor bella quandoque scholastica gerimus, sed amica, quæ potius ad scholasticæ militiæ exercitium faciunt, quam ad dissensiones animorum, gladiis obtusis pugnamus, neque ullum vulnus infligimus. Thomistarum doctrinam censurâ notari vetuit Roma, prompti paremus, notâ nullâ afficimus. Nescio undè tam meticulosus tu sis Vir Eximie, qui Magistrum habuisti cognomento *intrepidum*. Pone hunc timorem res Thomistarum est in vado.

## QUINTUM MALUM.

*Turbæ frequentes variis in Ecclesiis successu temporis  
ciendæ.*

**R**espondeo: desinant Iansenistæ esse *publica tranquillitatis perturbatores*, quales illos testatur Alexander VII. Ponant contumaciam, & mali isti corvi, pejora ova non excludant, redibit sua Ecclesiæ serenitas, non facilè deinceps perturbanda, nisi videremus, & longo observassemus usu, hæresim ex hæresi semper nasci, & novi aliquid monstri subolescere, ut ex Calvinismo Iansenismus prodiit, ex illo Quietismus, quem in cunis gaudemus esse extinctum utinam mater illa non sit secundò fœcunda!

## SEXTUM MALUM.

*Indignatio S. Sedis.*

**H**Anc tu Vir Eximie, hanc fœderati tui & *Supplicantes* curant scilicet: hanc metuunt & quidem alpibus interjectis, qui, quod alpes transvolat, non pluris faciunt, quam inane murmur, quo imbelles animi territantur, vel potius, qui alpium oppositu vaticana fulmina penitus comminui garrunt ut non ita pridem ex tuis symmisticis aliquis scribebat: indignatio S. Sedis Ex: Martinum de Swaen sollicitum habet: quis credat? Ex: Domine nulla metuenda est S. Sedis indignatio iis, qui decreta ejus naso non suspendunt adunco, sed suspendentes publicè redarguunt, & verbis & exemplis ad debitam reverentiam compellunt. Si iratam habere verè times S. Sedem, statutis ejus citra exceptionem obtempera. Nunc reliquos duos scopos tuos inuestigemus ac videamus num feliciter in eos collimes. §. V.